

## PSALMI XCVI. DISPOSITIO.

Canite Regem Judicem. Dominus exaltans.

**E**Xcitamur hinc ad laudem Regis summi vice gemina: (A) prima cohortatio continuatur ad v. 7. ubi I. debitum nostrum est (1) *Canere Deo canticum novum per omnem terram*; v. 1. (2) *benedicere nomini ejus*; (3) *recensere salutem ipsius de die in diem*; v. 2. (4) *enarrare inter gentes omnesque populos gloriam ac miracula div.* v. 3.

II. Ratio laudum est *Dei magnitudo*: (2) *celebritas*: (3) *venerabilitas prae diis omnibus*: v. 4. utpote *qui sunt nihil*: v. 5. (4) *productio sive creatio caeli*: ibid. (3) *coram ipso est decus & honor, robur atque splendor in saeculario ipsius*: v. 6.

(B) Altera cohortatio continuatur ad finem usque, ubi I. debitum nostrum est (a) *Deo*

*tribuere gloriam ac robur per omnes populorum generationes*: v. 7. 8. (b) *afferre munera*: (c) *intrare in ipsius atria*: v. 8. (d) *adorare ipsum in ornatu sancto*: v. 9. (e) *venerari ipsum ubi vis*: ibid. (f) *promulgare sive palam dicere de ipsius regno*: v. 10.

II. Argumenta praeconii sunt (1) *Deus regnat*: v. 10. (2) *orbis habitabilis ab ipso contra mutationem omnem roboratur*: ibid. (3) *juste judicabit populos*: ibid. Quod ipsum Judicium amplificatur porro (a) *a gaudiis caelorum, terrae, maris omniumque in ipso contentum*: v. 11. *agrorum cum contentis inibi omnibus*: *arborum etiam sylvestrium*: v. 12. (b) *ab ipsa Judicii forma*: *venit ad judicandum juste vereque orbem universum*: v. 13.

## PSALMUS XCVI.

**T**itulus apud LXX. & Vulgat. est: *canticum ipsi David, quando domus aedificabatur post captivitatem*, quod ipsum a LXX. vel ab Aben Esra additum censet *Bellarmin.* ita ut reaedificatio templi cantatus sit, sed quidni ex margine? Confer 1. *Par. XVI, 23. seq.* ubi Psalmus hic una cum CV. adhibitus legitur, deducta arca ex domo Obed Edom Hierosolymam, mutatis tamen non paucis. Pertinere autem tempora Messiae, ex *Kimchi, Rasche, Rabvenaki*, ostendit *Muis* in argumentum psalmi hujus. Plura de hoc titulo suggeret *Pinto, Christo cruc. f. 247.*

## EXPLICATIO VERSUS I.

**שירו** *cantate Domino*: ) i. e. non domi solum, sed & palam in solennitatibus publicis, itemque in congressibus cum hominibus exteris, hilari voce recensete veri Dei facta mirabilia, ut sic carbo ardens vicinum accendat alium, ut gaudii luminisque vestri participes etiam reddantur alii, &c. Eandem hanc compellationem vidimus *Ps. xxxiii, 3. cantate Domino canticum novum, bene psallite cum vociferatione*; redibitque ipsa *Ps. xcvi, 1. c. xlviii, 1. sic & Jes. xlii, 10.* Vocationem gentium praedici hic, annotant *Genebrardus, Coccejus*, aliique.

**novum**: ) ob novum scilicet ac singulare prorsus beneficium, novi scilicet foederis gratiae *Jer. xxxi, 33.* vel *novum* excludit vulgare, & ponitur pro delectabili, (*nova* enim semper plus afficiunt ac movent,) aut pro exquisito, pretioso singularique industria ac cura concinnato, quod renovandum etiam in dies, continuoque devotione innovata recolendum. Sic *Psalm. xl, 4.* extraxit me ex lutu, & dedit in os meum canticum novum; *Psalm. cxliv, 9.* Domine, canticum novum cantabo tibi, item *Apoc. V, 9.* cum aperuisset librum, 4. animalia & 24. seniores cantabant canticum novum, dicentes; dignus es &c. quod ipsum Interpretes accipiunt de nova novi cordis hilaritate, nova N. T. beneficia solenniter celebrante. *c. xiv, 3.* audivi vocem de caelo

**B**tanquam vocem aquarum multarum, & cantabant quasi canticum novum, & nemo poterat discere canticum, &c. Confer *Gerh. t. 3. LL. evangel. c. 1.* Quam temere autem *Capellus* ex collatione Psalmi hujus cum 1. *Par. xvi, 23.* inferat Codicum corruptionem, ostendit *Buxtor. anticrit. pag. 432.* quem vide.

**שירו** *cantate inquam*: ) per anaph. exultabunda haec iteratur exhortatio, ut tanto alacriores nos geramus in celebrando Deo nostro; cujusmodi exempla alibi passim, ut *Psalm. xxix, 3. 8. seq. Ps. lxxvii, 4. 6. seqq.* Imo, cum mox tertia recurrat vice, nonnulli, ut *Euthymius*, Trinitatem subindicatam hic censent.

**כל הארץ** *universa terra*: ) non solum, scilicet *Caenana* vel *Palastina*, quam hic intelligendam opinatur *Aben Esra, vers. 3.* sed totus terrarum orbis, uti colligitur *ex vers. 3. seqq.* Confer *Psalm. VIII, 2. 10.* quam gloriosum est nomen tuum in universa terra. *Ps. XIX, 5.* in omnem terram exiit sonus seu linea eorum. *Psalm. xxxiii, 5. 8.* timete a Domino universa terra. *Psalm. xlvii, 3.* rex magnus super universam terram. item *Psalm. LVII, 6. 12. LXVI, 1. 4. LXXII, 19. LXXXIII, 19.* Syntheseos similis exemplum habes *Psalm. LXVI, 1.* clangite omnis terra. *Lutherus*: alle Welt; prius: alle Lande. *Campens.* quotquot incolitis terram.

## EXPLICATIO VERSUS II.

**ברכו** *benedicite nomini ejus*: ) i. e. gloriosa & honorifica quaeque de Deo nostro loquimini vel commemorate, vide eandem hanc compellationem: *benedicite Domino, Psalm. LXVI, 8. & LXVIII, 27.* item *Ps. XVI, 7.* **בברך** *benedicam Domino*: sic & *Ps. xxvi, 12. xxxiv, 2. LXIII, 5. &c.*

**שמו** *nomini ejus*: ) i. e. ipsi Deo, in quantum is nominabilem se fecit vel revelavit; vel *Nomen* ponitur pro *Fama*, ut alibi passim.

**בשרו** *annunciate*: ) lato scilicet pectore ac lingua, tanquam **בשורתו** *evangelium latissimum.* ita namque communiter **בשרו** de annunciatione rei latae ac salutiferae solet usurpari, vide *Ps.*